# MEDICVS
## HONORE DIGNVS,
A C
## MEDICINA COMMENDABILIS:
# REGINAE,
## A MORBO LETHALI,
(Voci, falso sparsæ, hydropisi pectoris)


Precibus totius Vrbis,

# DIVINITVS
## RECVPERATÆ,

Ab Auctore ignoto

Proposita.





ROMÆ, Apud Io: Franciscum de Buagnis. MDCLXXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Al P.re Gio. Cor. Poggi

# SATYRA.

ARs longa, & breuis eſt vita: experimenta periclis
Proxima: opus Medicis cautela: erratur vbique:
Mors furit: exili filo mortalia pendent
Quælibet: ac ſcitur ſolum, quod ſit moriendum:
Artis ait Princeps medicæ, ludique magiſter.
Iſta, negat trias, auſonijs accerſita morbis,
Inueſtigatrix virtutis nullius herbæ,
Aut lapidis, vel radicis, verbi ſtudioſa
Solius, ægrotos quod fallat in Vrbe iacentes,
Spem foueat loculi, incrementum tentet honoris:
Indubiam facere auſa fidem temeraria vitæ,
Immo pauere vetans lethum, duplone micante.
Huius dux, funem trahit: alter terminat auro
Nomen: vocetenus ſupremæ tertius Vrbis
Conditor eſt; proceres, cunctique audite Quirites;
Illi curandum meditantes tradere membrum,
Scindendamue fibram, diris committere flammis
Corpus, pulmonem tumefactum, cor agitatum,
Vel iecorem ardentem, ſplenem ſiccumue medenda,
Immo, extendendam in ſecula, ſubdere vitam;
Infra, doctrinam, cunctis animalibus æquam,

Vobis proponam, verbo abſoluamque gemello;
Loripedem ride interea, recte, AEthiopem albe,
Deſpiciat nanum contingens ſidera mento;
Et tu, cui diuina patent, labyrinthi, & abyſſi
Ingreſſus; comparque via eſt, atque exitus idem,
Artem, Naturæ, ſimilem quæ dicis: ad iſta,
Vrbi reſponde; morbus quis hic eſt patientis
Suecorum DOMINAE? gracilis febricula, ſerpens
Tergore, eryſipilas crure, & ſinu tumor, aſthma,
Dictarunt illum medicæ ignorantibus artis;
Forſan hydrops, morbum experto, quit dicier ægra?
Helmont non methodo curauit hydropiſin iſto;
Tentaſti craſſum fibris haurire catarrhum,
Vnciolam vacuis nequiens traducere venis,
Sanguinis exacti; rigidas febricula ſpinas
Renibus impegit: vidiſti contremuiſſe
Impauidam, quaſi deludens: febricula ponit
Veſpere malleolum, tollitque in verbera mane,
Ruſticiore modo: vexant penetralia tricæ,
Quæ poterant abigi: virent tormenta dietim;
Non ſic eſt Flander ſanatus hydropicus vllus.
Conqueritur febrim famulatus creſcere: nemo
Exclamat, rutilo dextras turgere metallo
Carnificum; porro non eſt furor iſte putandus
Febris, in exhauſtas, horæ molimine venas.
Im-

Imperium exercere ausæ, at potius medicantis:
Cui sunt ægrotæ pretio ludibria paruo.
Fortassis gaudes febrim vicibus redijsse,
Tot, quot abire velis? aut mandes membra iacentis
Affligi? languere caput? pendere lacertum?
Siue ardere pedes? brumali frigore crura
Horrere, atque algere manus, oculosue calore
Torqueri? imponi tribulato pondera strato,
Qualia gestet hiems medio neque tempore? noctes
Insomnesque dies duci? ora arescere? corpus
AEstu consumi? fontemque niuemque negari
Poscenti? ægrotis apponi pocula labris,
Pharmacopola etiam quæ nolit tollere sanis?
Fercula REGINAE quæuis, consueta, reponi
Iudicio triadis, casu mala tanta medentis?
Sunt nihilo tibi fortassis, quæ flere videris?
Vrbs gemitus plangit, suspiria regia Mundus,
AEgraque clamat, ohe! crudelis claudere voci
Aures nouisti medicas, patientis; & illa,
Quæ famulas admittebat, solosque ministros
Mites, iam glaciem febris, nunc sustinet ignem:
Mox seruum reprobum, dein carnificemque ferocem
(Tales sunt Medici, quos passio nullius angit
AEgroti, occisi, neque turbant ossa sepulti)
Excipit, & frontem præbet, tangendaque labra,

Et femur, ac pectus, venam quinimo secandam
Lanceolæ sæui concedit prona cherurgi.
Qua regione manes, humanæ arbitra salutis!
(Hæc est vox inopũ, meus hic, REGINA, susurrus)
Hostem pelle tuum! Romæ dirumpe flagellum!
Solius infirmæ non est crux ista: Quirites
Suspirant! lacrymas confundit diues, egeni!
Luget Apollo! almæ plorant Heliconis alumnæ!
Attoniti stant indigenæ! stupet aduena! quæque
Templa strepunt precibus! seruus ieiunat in vnda
Ac pane iste tuus, rogitans pia Numina supplex!
Nudipedes ipse, ac coniux ad limina tendunt
Clauigeri Empyrei, digito ostenduntque gementes,
CRISTINAE, quanti sit conseruatio nobis
REGINAE: cuius pietas fouet Vrbis egenos:
Erigit Heroes lapsos, tenuitque cadentes:
Victum decernit viduis: altaria vestit:
Fratribus intendit: pupillis subuenit: audit
Ac consolatur quosuis ad se properantes:
Auxilium nulli negat; eia! cara salutis
Præses, adi Superos! quæ nostra precamina tentant,
Indulge nobis! CRISTINAE intende medelæ!
Non est læta dies, neque nox optata quieti,
Donec testeris sanatam, in lustra nouena
Incolumem, tollens spectetur ad æthera vultum,
Di-

Dicat, ſeruorum votis ſum viua meorum!
Iſta ſalus, miſeri precibus debetur egeni!
Forte, trias, rides noſtra, & lamenta Quiritum?
Euomis in Medicis auerſum opprobria falſis?
Inglutire eadem te poſſe aliquando putato:
Dum Muſæ, errantis ſententia congruet Vrbis;
Quos curare nequis, attende obtrudere morti.
Placatis Superis, qui te voluere probare:
Liberiora tuo Vati, REGINA, loquendi
Da veniam, famulum neque dedignare precantem:
Ne recidas: te perdat inops: plangaris ab omni
Numen adoranti, ſacrum Nomenque colenti.
Explora cauſas morbi, contraria ſerua:
Quod nocet, ipſa vetes: quicquid conferre ſaluti
Sciueris, ipſa iube: Medicum, cupidumque repelle
Aureolæ, aut loculi: Medica eſto corporis, ipſa.
Sic, hortabatur Belgas Helmontius ægros;
Nunquid ſecta ferat noua vulnera regia vena?
(Reſponde, trias; ægroto male cognita vulgo)
Promptus languorem ſanguis, languorque catarrhum
Auxit; fors neſcis aliter propellere febrim?
Dilectus Patriæ, non ſic Helmontius illa
Curaſſet, ſpreta Hippocratis, veſtraque Galeni
Doctrina; De Ortu, ac Progreſſu ipſum Medicinæ
Indaga diſceptantem; te, Romule, quare
San-

Sancto Spiritui commendo: qui det habendum
Infirmis Medicum, dignoſcentem medicinam
Vrbi opportunam: medicetur motus amore
Qui fratrum, non gloriolæ, implendæue crumenæ:
Qui ſtudeat Borri, Patriſque arcana Philippi,
Romæ Gallorum famoſi Pharmacopolæ,
Ac Medici: queis ſunt Helmontica dogmata cara.
A reliquis caueo, tibi diſcutienda parando,
Vrbis carnifices quæ neſciuere celebres:
Vt potius mihi des Vati, REGINA, duplones,
Quam plagis tunicæ, morbo intentiſue crumenæ.
Falli conſuete, Hippocrati crede, atque Galeno;
Diſce Dioſcoridem, medicæ indagantior artis,
Plinium, Auicennam; accedat ſapiens Salomonem,
Fortis Sampſonem; longæui ſecula nati
Enoch dinumeret ſanus, mecumque erumpat in iſta;
Tortores! Medici: medicinæ, aconita vocentur!
Stultus, cæcorum qui more obtemperat illis,
Qui bibit, aut comedit, quod amicus neſciat, æger,
Expertuſue probet ſimili in diſcrimine vitę.
Qnantumuis etenim Sapientia dicat, honora:
Non tamen adducit Medicum, qui dignus honore,
Præterquam lapides, herbas, linguaſque creantem;
Nec patet, à Domino quæ ſit medicina parata
Cuilibet infirmo; miſcendam, ſiuè coquendam,
Di-

Discit ibi nemo, Hippocratis, vel more Galeni;
Omnis sanandi, (schola cantet in Vrbe Galeni)
Herbis, & verbis, lapidique est insita virtus:
Cum vix inquirat, nummis immersa creandis;
Ausus propterea tibi sum, REGINA, fateri:
Quod Medicina fuit bursæ comperta replendæ,
Quam fallax docet Hippocrates, mendaxque Galenus.
Respice nascentis Mortales quoslibet orbis:
Qui vixere diu, non sunt vsi medicina
Hippocratis: potio nec ab vllo est hausta Galeni,
Qui fuit ægrotus quondam: nulli fibra morbo
Secta laboranti fuit olim; consule Regis
Saturni populum, sacros, librosque profanos
Volue: nec inuenies vllum, nisi Cunctipotentem,
Qui sit honoratus quasi veræ autor Medicinæ.
Omnipotens ægro medicamina condidit omni:
Illa sed Hippocrates, ignorauitque Galenus;
Qua propter miscere docent, confundere cuncta,
Temperiem vnius plantæ, alterius moderando;
Vt lethi causam pistillo Pharmacopolæ,
Aut libræ apponat, nunquam medicinæ,
Qui moritur: dicat potius cuicumque petenti,
Non fuit herba recens: errauit baiulus, ipsam
Qui legit, iuuenis coctam qui tradidit ægro,
Præscriptum non seruauit, qui pocula sumpsit;

Qua-

Qualia si triadem non argumenta tuentur:
Imputat interitum Fato, stellæue malignæ;
Scilicet: vt nunquam Medicus titubasse putetur,
Ebrius Hippocratis, medicamentisue Galeni.
Non ego simplicia inuoluo, istorum medicinis,
Quæue reuelauit medicamina Conditor orbis,
Composita; abstinuisse illis tantummodo vellem,
Quæ trias, aut non experti didicere scholares;
Quadrupedes, & habent volucres quæcũq; medelã;
Dictamno Ceruus, medicatur gramine latrans,
Cornu Monoceros, herba felis mihi nota,
Simplicibusque alijs alij, ratione soluti;
Allia paganis faciunt, quod non theriacæ
Vrbanis; fertur: Romanos, caulibus vsos,
Longius ætatis, quam Galeni pretiosis
Mercibus imbutos, olla Hippocratisque rigatos,
Deduxisse annos: Belgis Helmontius inquit.
Hic, quamuis herbas, frutices, nosset lapidesque,
Rumpere, miscere, aut confundere singula posset,
Eruta non auræ spe, siuè cupidine lucri,
Lustrorum studio septem, propriaque moneta:
Dixit, adhuc certi nil se nouisse, saluti
Humanæ: quam nostra trias, duplone soluto,
Spondet Principibus, quamuis morientibus, Vrbis;
Supplice, conticeo, quid ad illa, rogata libello,

Au-

Audeat expiraturo iurare misello;
Experti potius dicánt oracla Quirites:
Promittit tumulo neglectam reddere vitam,
Aureolo flauente manu, candoreue scuti
Lucente hethrusci; triadisque arrideo sannis.
Helmont dicebat, velut inspiratus ab alto:
Centum narrarem morbos, aliquando leuatos
Herbis simplicibus, remoratos arte Galeni:
Oppidulum Latij est nullum, quod non habet vnum,
Carnificesuē duos, communi munere pingues,
Nutricis nedum vacuatos lactis odore.
Siste, trias, gressum; medicinam dictat hydropi,
Quæ te vel latuit, siue est exercita nunquam,
Ne tibi deficiat diui medicina metalli;
Expertum, REGINA, precor, patiare monentem,
Quamuis non es hydrops a iudice credita sano;
Vt fieri nunquam formides: ecce medelam!
Qui cibus impinguet, stomachũ nõ amplius intret,
Difficilis neque digestu, nec fusior æquo;
Sume parum carnis, potiorque sit edita syluis:
Abstine, perpetuo, sapienti sacchara ferclo:
Conditum prosit sale: Nepiæ vescere bulbo,
Buglossa, beta, alternis vicibus, piper adde
Illis: est modicum, leue, commendabile vinum:
Nunquam sedetur sitis: abstinuisse liquore

om-

Omnino, ſatius foret: acria, amara leuamen
Inducunt mirum, quod motus corporis auget;
Sint, aſſata caro, panis biſcoctus, & ater;
Caſeus exilium, fruges patiantur & omnes:
Sint halicæ Salſæ ſtomacho, quod cera papyro.
Si medicina labor nimis arduus iſta videtur,
Totaque reſpuitur: poterit pars illa probari,
Cui ſenſus minus auerſus; nam continuatam
Quamque iuuare tulit vir, ſupra fatus, hydropi,
Extirpare licet radices ambigat idem.
Si quid continget præter votiua, memento
Arte ſalutiferæ mox refrenare Dietæ,
Quam medicos Natura canes, ratione carentes,
Ac brutum fortaſſe docet quodcumque creatum;
Salſedo Medicina, ſalus tua certa Dieta eſt.
Hæc, REGINA, tibi monitus debere putaui,
Expertus quia ſum mediato circiter anno;
Nempe, cado ſimilis vaſto, ſum factus alacris,
Mollities ſolida mutataque liuida carne,
Et fuit in toto mihi reddita corpore vita:
Crapula quam tulerat iuuenilis, non reprehenſa:
Pigritia, humori cognato fida miniſtra,
Propulerat; caſtigato nunc ventre, periclum
Exulat, extremum quod dixerat eſſe peritus
Ille meus Helmont, Medicus celeberrimus orbis;
Sint